

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quintâ Januarii.

M. CAROLO BOMPART, Doctore Medico, Præſide.

An, ut aquarum thermalium, ſic & ſanguinis vigor à ſulphure?

I.

MUNDUM, ingens quoddam animal dixere quidam è veteribus, propter eam quam habent inter ſe μακρὸς & μικρόκοσμος ſimilitudinem. Uterque machina hydraulopneumatica. Per artus infuſa mens totam agitat molem. Terra ponderibus ſuis librata, dum flat glacies iners, emortua veluti jacet, foliis viduantur orni. Caloris adventu natura tota repueraſcit. Intùs calore perfunditur; hunc ſolutum in phlegmate ſulphur perennat. Corpus humanum ſuâ movet præſentiâ, quæ infundendo creatur, ſibi ſoli ſufficiens, ſibi ſoli vivens ſubſtantia ſpiritalis: hæc frigidi impatiens hoſpitii, calore gaudet, ab ipſis vitæ incunabulis partibus inſito. Flammæ vitali ſuſtentandæ humido radicali nullus aptior fomes: Sulphureum quis inficiatur, ſi vel prima artis chymicæ limina ſalutaverit. Audiat ſubſtantia aërea, pinguis, & oleoſa, apud priſcos medicinæ antiſtites, nihil moramur? Ludit quippe interdum verbis novorum ſyſtematum auceps, cui divinus ſenex jampridem conſuluit, ut altum dormiret. A parentibus tradux ſulphureus liquor diſcedit perpetuo, triplici ſanguinis motu, in quo vitalis fundus, jugiter reſarciendus: pejoris tamen eſt conditionis deperditi loco ſuffectus; hinc miſeris mortalibus optima quævis dies fugit prima, ſubitque triſtis ſenectus; licet perpauci tempora maturæ longa ſenectæ viſuri, quæ infir-

mos baculo ſuſtinet artus. Cunctis tandem ſpiritus ſulphureo pabulo deſtitutus, frigida currit per oſſa; & duræ rapit mortis inclementia.

I I.

SPECUS varios, innumeros pene ductus, ex quibus conſtat univerſum corpus, natura ſuo excavat genio. A ſummis ad ima fit commeatus humorum; an ſit æquum vaſis & partibus circumducti ſanguinis libramen, an iniquum, non parvi intereſt; in libera namque purpurei laticis motione, ſita eſt potiſſimùm functionum integritas; hanc juvat ſulphur, cujus latibulis excitatus ſpiritus, nec mediocres excitat virtutes; ſpes jubet eſſe ratas, mortales trudit in prælia, reddit audaces omnia perpeti. Efficit & ſulphur crines dignos Apolline, & eburnea colla, decuſque oris, & ruborem in niveo candore miſtum. Pars quæque corporis viret modico floridi ſanguinis rivo, ſub incremento gemit, etenim inopem facit copia, in propriis laribus flamma vitalis ſuffocatur, haud ſecus ac lampas affuſo ubertim oleo; areſcit decremento, adducitque cutem macies, & in aëra ſuccus corporis omnis abit: vox tantum atque oſſa ſuperſunt. Notus feritate ſal acidus, ni ſulphurum amicabili connubio miteſcat, balſamica ſanguinis natura, (abſit verbo injuria,) in acorem fit degener morborum iliadem paritura; hinc fiunt mortales, præmatura nimis victima non commiſerantis orci.

I I I.

MISER homo, morbi ſanitatiſque reciprocas vices experitur, nec tamen malorum in nobis & bonorum æqua deceſſio eſt, facilè ab optimo ſtatu & quaſi ſponte labimur, á vitioſo ægrè & invitâ velut naturâ reſurgimus. Felix homo cui tot ſuppetunt divum munera. Larga eſt, ne dicam prodiga naturæ in remediorum procreatione fæcunditas, cum plantas in terræ ſuperficie ubique parturit; nuſquam tamen magis admiranda, quam ubi medicatas fundendo lymphas, ægris & convaleſcentibus, facilè parabilem medicinam propinat. Quot è metallis eorumque ſeminariis ſurgunt homini ſolamina? Totve theſauri, ne ſepulti jacerent in terræ penetralibus, lymphæ per eorum venas devolutæ, perque longum telluris ſpatium tranſcolatæ, efficaci ditantur ſpiritu, molliores ipſorum particulas lambunt, duriores radunt, variiſque mineralium quæ præterfluunt ſpoliis onuſtæ, quâ data porta, hominis in præſidium ſalientes, foras erumpunt.

IV.

MIRA est aquarum diversarum Regni Galliæ omnis generis opulentia, sed stupenda magis tum fluviorum, & aliarum dulcium, & medicarum aquarum in Arverniæ Provincia enumeratio. Hæ varia à locis scaturiginum accepere nomina. Prope Claromontum fons prostat lapidescens, ad cujus præsentiam rigent cuncta, velut ad Medusæ saxificos vultus; non longè hinc fons scaturit bituminosus ad viciniam Montis-ferrandi, mirum quantam, unius diei spatio, sulphuris copiam suppeditet. Vicecomitenses vitriolo fœtæ nitro & alumine, Vichenensium viribus haud impares, immo validiores, tantâ quondam hominum frequentiâ percelebres fuere, quantâ nunc incuriâ negliguntur. Ad illas ut principiis sic viribus accedunt Medulphianæ. Nec minoris notæ sunt Castellodunenses, Jaleyracenses, Sanfloranæ, Vicecarladenses, Martyroverenses &c. De iis præsertim hic orsus loqui, quas sulphur tantùm extollit inter ceteras, quantùm solent cupressi inter lenta viburna. Haud infimæ sedent, quæ urbium principem alluunt Claromontenses nuncupatæ: affuso gallarum decocto rubescunt, & in atramenti colorem denigrantur: Martis divites opum, harum particulas attrahens magnes, satis superque comprobat: bitumen ignis subterranei pabulum esse, fidem faciunt earundem sapor odorve. Largiùs epotæ colicos immanes cruciatus velut incantamento sedant. Apud hydropotas quartanæ febres exulant, ceteris præsidiorum generibus rebelles. Peritior quovis artifice natura, sapit ultra pharmacopolarum pyxides. Evanescunt importunæ vertigines. Suus sibi florens redditur puellis faciei color. Qui flavo prius sordebant, nunc vegeto colore suffunduntur.

Les Eaux de Vic le Conte, de S. Myon, de Chatel-dion, de Jaleyrac. De S. Floret. De Vic en Carladois. Des Martres au territoire de Curran.

V.

QUA parte sol declivis, Arvernorum plaga aureis montibus obumbratur, nec illud unico sed multiplici titulo nomen obtinent. Tantâ ditantur soli pinguedine, ut vegetantia cujuscunque generis (Fagonias opes,) amplissimâ segete parturiant. Aureas meritò dixeris, quæ ibi scaturiunt, thermales aquas; auream nempe sanitatem firmant labantem, collapsam restituunt. Chymicæ analysi subditæ, subacidum exhibent salem, ferri quidpiam & sulphuris redolentem. Multifariam unda hæc corpus nostrum afficit, hoc juvat copioso potu prolui, immersæ subit, quos laxat cutis porulos, nec non ex alto fervens in morbidos artus prosilit. Haud perpetua est aquæ aurei montis assumendæ tempestivitas:

Les Bains du Mont-d'Or en Auvergne.

hyeme minùs commodus illius usus, cum verò adduxere sitim tempora, maximè salutaris. Particulæ quibus imprægnatur sulphureæ, crassos, frigidos, & viscidos humores attenuant & coquunt: crassior bilis quæ sæpius medicamentorum purgantium vires eluserat, unà cum serosâ illuvie per urinas & sudores abducitur, conceptum ardorem prorsus deponunt viscera. Spiritus nervorum plexus liberiùs excurrunt. Pars quæque sui juris facta gloriatur sibi restitutum vitæ jubar. Si friget uterus meritò dixeris adhuc inutile pondus; quam misera sors conjugis? Vivet illa sine nomine, quia sine sobole, ni citò quærat solatium. Aureis thermalibus aquis, (ut ultimâ medicinæ anchorâ) non amplius languet attrita vis fermenti, non torpet & arescit arvum muliebre, nec amplius desunt his in partibus caloris blanditiæ, cujus inopiâ, nulli fas sponsæ sperare prolis ornamentum. Brevi tibi sponsa jactabit prægnantis uteri pompam, tibi speranda nuptiarum messis & socialis pignus amoris. Herculeas sane dixeris? vertigines, epilepsiæ; membrorum torpores, tremoresve, paralyses, arthritis citò citius profligantur. Pituita è metropoli, aut aliunde in articulos depluere, & diros cruciatus inducere solita, aut furens mitescit, aut tenuior facta aliò diripitur. Quid plura? Cæci vident, surdi audiunt, muti loquuntur, claudi ambulant. Tam solennes, tamque egregias dotes sulphuribus acceptas referet sincerus naturæ calculator; equidem sanguinis balsamicam indolem restaurando, genuinis vitæ characteribus corpus beant.

Ergo ut aquarum thermalium, sic & sanguinis vigor à sulphure.

Domini Doctores disputaturi.

M. Jacobus Souhait.	*M. Daniel Tauvry.*	*M. Raymundus Finot.*
M. Carolus Bompart, Præses.	*M. Antonius le Clerc.*	*M. Matthæus Thuillier.*
M. Claudius Dufresne.	*M. Petrus Jacquemier.*	*M. Carolus Marteau.*

Proponebat Parisiis CLAUDIUS TRICHARD, Pacicus, Ebroïcensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1699.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum..